

Circa hanc distinctionem, inquit primo D. Thomas, an sit præceptum conjugibus reddere debitum, et an sint pares in eo, de quo hic q. 1, art. 1 et 3. Secundo, an possit unus sine consensu alterius emittere votum per quod reditio debiti impediatur, et an possit vir irritare hæc vota, de quo ibi art. 4. Tertio, an aliquod tempus impediatur redditionem debiti, et an etiam non poscenti debeat reddi, de quo ibi art. 5 et 6.

DISTINCTIO XXXIII.

Agit in hac distinctione de legibus et aliis quæ inveniebantur in conjugibus antiquorum. Et dividitur in tres partes. In prima, proponit qui, licitum fuerit patribus ante legem. Secundo, quid fuerit licitum sub lege. Tertio, quid evangelii perfectio statuerit.

Circa primum, docet in sua prima institutione solum unam uni fuisse copulatam, scilicet Adæ Evam, ex quibus filia et filii procedentes inter se jungebantur, fratres scilicet sororibus, quia non erant alia quibus copularentur. Deinde vero pluralitas uxorum introducta est, et a Deo permissa patriarchis non causa voluptatis, et libidinis, sed propagandi populum Dei, in quo cultus ejus verus permaneret et ut Augustinus ait: « Justo officio propagandi, nuptias contrahebant non victi libidine, sed ducti pietate qui multo facilius continere possent et vellent. »

Unde idem Augustinus, libro de bono conjugali, cap. XXI, dicit non fuisse impar meritum continentia in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham, qui filios genuit, licet continentiam Joannes in opere, Abraham in solo habebat habitu, melior tamen est castitas cœlibum, quam nuptiarum, quarum

unam Abraham habebat in usu, ambas in habitu. Quare dici non potest quod tunc s. patres non servabant thori fidem quia non aliis, quam legitimis uxoribus miscerantur, licet aliquas concubinas appellarent.

Circa secundum, docet quod in lege scripta fuerunt prohibita aliqua nuptia, ut cum matre, cum noverca, sorore, nepte, et aliis similibus, permissus est etiam libellus repudii ad duritiam cordis eorum, non ut concederet dissidium, sed ut tolleret homicidium. An vero tunc plures permissæ sint uxores? Respondetur in Deuteronom. scriptum esse non habebit: *Rex uxores plurimas quæ alluciant animam ejus*, ubi advertit Augustinus plurimas esse prohibitas non plures, et ideo peccavit Salomon, quia plurimas habuit, non David, qui aliquas, seu plures.

Circa tertium, docet in evangelio reductam esse legem conjugii ad priorem statum suæ primæ institutionis, ut una uni conjungeretur, sicque fieret in figura Christi, et Ecclesiæ, virginitas etiam fecunditati prælata est. In quo ut Ambrosius docet, virginitas mentis præfertur virginitati carnis, licet utramque habere bonum sit, nec potest caro ante corrumpi, nisi mens prius fuerit corrupta, ut etiam Isidorus dicit.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an sit contra legem naturæ habere plures uxores, et an fuerit aliquando licitum, et utrum habere concubinam licitum sit, de quo hic qu. 1 et videri etiam potest 2-2 qu. CLIV, articul. 2, ubi tractatur; an simplex fornicatio sit peccatum. Secundo, inquit, an matrimonium ex natura rei sit indissolubile, et quomodo fuerit licitus libellus repudii, et de ejus causis, de quo agit hic quæst. 2. Tertio, inquit,

rit, quid sit virginitas, an sit virtus specialis, et major omnibus, de quo 2-2 qu. CLII.

DISTINCTIO XXXIV.

Ab hac distinctione incipit Magister agere de impedimentis matrimonii. Et procedit hoc ordine, quod primo agit de impedimentis quæ non plene reddunt inhabiles personas, sed quibusdam concurrentibus causis, vel saltem divortium possunt inducere, et sic agit in hac distinctione de impedimento frigiditatis, et maleficio, in sequenti de adulterio, quod divortium inducit, in XXXVI de conditione servitutis. A distinctione autem XXXVII usque ad XLIII agit de impedimentis quæ omnino faciunt personas illegitimas sive quoad omnes, sive quoad certas personas. In præsentibus ergo distinctione agit tria. Primo, enumeratis impedimentis in genere, agit de impedimento frigiditatis, et maleficio. Secundo, de impedimento amentia, et criminis incestus. Tertio, de deformitate corporali.

Circa primum, docet varia esse impedimenta matrimonii, de quibus agendum est, nam quædam reddunt personas penitus illegitimas ut ordo, votum, cognatio, dispar cultus, et similia; quædam reddunt personas illegitimas certis additis conditionibus. Et de istis agit primo, atque inter illas numeratur impedimentum frigiditatis, qui scilicet, non possunt copulari. De quibus jura decernunt, si volunt sic permanere, et cohabitare cum muliere tamquam cum sorore permaneant. Sin minus, judicio Ecclesiæ separentur, ita quod uterque septima manu propinquorum tactis sacrosanctis reliquiis juret, quod nunquam convenerunt, et tunc poterit ad alias nuptias transire qui impotens non est, et alter

impotens maneat sine conjugate. Quod si et ille aliam acceperit, perjurii crimine teneatur, et ad prius matrimonium redeat.

Si autem vir asserit se debitum reddidisse, et uxor negat, potius viro credendum est, quia caput est mulieris. Si autem maleficio aliquo ipse concubitus impediatur, procurant per confessiones, exorcismos et orationes Ecclesiæ liberari. Sin minus separari poterunt, et ad alias nuptias transire, nec poterunt ad priores nuptias redire etiam si facultas concumbendi redeat illis viventibus, quibus post juncti fuerint, quod intelligitur, nisi judicio Ecclesiæ, quo facta fuit divisio.

Circa tertium, docet ex decreto Fabiani Papæ, et Nicolai, non posse amentes dum in amentia sunt contrahere. Si vero amentia supervenerit matrimonio, non solvit illud. Qui autem dormierit cum duabus sororibus, et una ex istis erat uxor, neutram habeat, et ipsi adulteri nunquam copulentur conjugio, et propria uxori non licet reddere debitum, cujus sororem cognovit.

Circa tertium, docet pro nulla macula, vel deformitate, aut infirmitate corporali licere uxorem dimittere, ut ex Augustino probat.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, de impedimentis matrimonii in genere, an convenienter assignentur, de quo hic quæst. 1 art. 2. Secundo, inquit de impedimento frigiditatis, an detur tale impedimentum respectivum; an debeat esse absolutum, de quo ibi art. 2 et quodlib. XI, art. XI. Tertio, inquit de maleficiatis, an sint impediti, et quando censeatur hoc impedimentum, de quo loco citato, art. 3. Quarto, de incestu, et amentia, an sint impedimentum, de quo art. 4 et 5.

DISTINCTIO XXXV.

Agit de separatione causa adulterii. Et facit tria. Primo, ostendit tam virum quam mulierem causa adulterii posse divortium petere. Secundo, quomodo possint reconciliari. Tertio, an prius polluta per adulterium, possit postea duci.

Circa primum, ostendit ex S. Hieronymo et Innocentio Papa, tam virum, quam mulierem pari jure censerī ad hoc, ut possit ratione adulterii separationem petere. Sed tamen ut vir possit adulteram dimittere, debet ipse simili delicto non teneri, ut dicit Augustinus, alioquin in quo alterum judicat, se condemnat.

Circa secundum, docet dimissam a viro ratione adulterii non posse alteri copulari, posse tamen reconciliari viro suo, ut ait Apostolus. Idemque prorsus censendum est de muliere respectu viri, ut dicit Augustinus quod Ambrosio tribuitur, quod viro licet aliam ducere, per errorem positum creditur in libro Ambrosii. Quod vero Chrysostomus et Hieronymus dicunt non posse retineri meretricem, nec reconciliari viro, intelligendum est quamdiu illa perseverat in adulterio, nec respicit, tunc enim quasi patronus turpitudinis fit maritus si ei reconcilietur, ut etiam Augustinus et Gregorius aliique dicunt, quod post pœnitentiam debet illam recipere quæ jam adultera non est.

Circa tertium, docet ex jure non posse ducere in uxorem eam, quam polluit per adulterium, si vivente viro dedit adulteræ fidem quod eam duceret post mortem viri, vel in mortem ejus machinatus est. Si vero simpliciter adulterium fecit, et non dedit adulteræ fidem, nec in mortem viri machinatus est, non

prohibetur eam ducere, ut ex Augustino docent jura, sicut etiam ex illicite conjunctis subsequente pacto licita fiunt connubia.

Circa hanc distinctionem, inquit primo D. Thomas, an ob adulterium possit dimitti uxor, utrum ad id teneatur et an debeat fieri per judicium Ecclesiæ, vel proprio judicio, de quo hic qu. i, art. i et ii et iii. Secundo, an post divortium possit alteri nubere, et an possint reconciliari, de quo ar. v et vi.

DISTINCTIO XXXVI.

Agit in hac distinctione de conditione seu impedimento servitutis. Et facit duo. Primo, tractat casus in quibus servitus dirimit matrimonium. Secundo, agit de ætate in qua possunt nuptiæ contrahi.

Circa primum, docet, quod servitus est impedimentum dirimens matrimonium, quando ignoratur, si vero scienter contrahitur, non dirimit, ut jura decernunt. Secundo, si inter duos servos diversorum dominorum contrahatur matrimonium, valet, si cum voluntate dominorum fiat, ut habetur in c. Dictum est, xxix, qu. ii. Quidam tamen censent valere etiam si dominis ignorantibus fiat. Tertio, si quis ingenuus post matrimonium servum se fecerit, non propterea dissolvitur matrimonium uxore ingenua manente, quæ non tenetur servituti se subicere, capite: Perlatum, ubi supra.

Circa secundum, docet secundum jus ætatem matrimonii esse quatuordecim annorum in viro, duodecim in puella, si ante fiat separari possunt, si vero post pubertatem consenserint, tunc incipiet esse matrimonium. Ætas autem sponsalium, est septem annorum, tunc enim intelligunt, quid promittant.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an servitus impediat matrimonium et quando, de quo hic qu. i, art. i. Secundo, an possint servi contrahere sine consensu dominorum, de quo artic. iii. Tertio, an proles debeat sequi conditionem patris vel matris in servitute, de quo art. iv. Quarto, de ætate legitima matrimonii, et sponsalium, de quo art. v.

DISTINCTIO XXXVII.

Ab hac distinctione incipit agere de illis impedimentis, quæ reddunt personas penitus illegitimas ad contrahendum, et non sub certis conditionibus. Ex his quædam reddunt illegitimas personas respectu omnium, ut est ordo et votum, de quibus agit in hac et sequenti distinctione. Alia vero reddunt personas illegitimas respectu aliquorum tantum, ut est disparitas cultus, et cognatio sive carnalis, sive spiritualis.

In hac ergo distinctione agit de impedimento ordinis, et uxoricidio. Et dividitur in duas partes. In prima, ostendit quomodo ordo sit impedimentum ad contrahendum. In secunda, quomodo uxoricidium.

Circa primum, docet quod tres ordines sacri subdiaconatus, diaconatus, et sacerdotium dirimunt matrimonium, reliqui vero ordines non, ut constat ex multis juribus, distinctione xxxii, capit. Si quis, cap. Placuit et aliis, et cap. Presbyteris, cap. Nullum xxvii distinctione.

Circa secundum, docet ex decreto Nicolai Papæ in cap. Interfectores xxxiii, qu. ii, eum qui occidit uxorem impediri a contrahendo matrimonio. Et licet adulteram occidere videatur permissum a lege civili, non tamen a lege ecclesiastica, ut idem pontifex docet, et Pius Papa, quorum verba ex diversis decretis reci-

tat Magister. Unde etiam adulteræ homicidium impedit matrimonium, hoc tamen impedimentum non est dirimens nisi interveniat pactum ducendi adulteram causa uxoris, aut ipsa adultera sit cooperata ad interfectionem viri.

Circa hanc distinctionem, inquit D. Thomas primo, an sacer ordo impediat matrimonium, et quo jure, et an possit supervenire, et suscipi post matrimonium, de quo qu. i, hic. Secundo, an possit quis licite uxorem in adulterio occidere, et utrum tunc impediat matrimonium, de quo hic qu. iii.

DISTINCTIO XXXVIII.

Sequitur agere de impedimento voti. Et dividitur distinctio in tres partes. In prima, de natura voti ejusque differentiis præmittens, ostendit, quodnam votum dirimat matrimonium. In secunda, agit de impedimento ligaminis. Tertio, de his qui longo tempore absunt, et putantur mortui, an possint uxores alia inire connubia.

Circa primum, definitur votum: Quod sit testificatio promissionis spontaneæ quæ Deo, et his quæ Dei sunt fieri debet. Dividitur primo in commune et singulare. Commune est, quod fit ab omnibus in baptismo dum renuntiant diabolo, et pompis ejus. Singulare quod unusquisque facit sua voluntate, ut si voveat continentiam, vel aliquid hujusmodi. Hoc rursus dividitur in privatum seu simplex, et solemne. Privatum fit privata auctoritate. Solemne in conspectu, et acceptatione Ecclesiæ. Utrumque si violetur peccatum mortale est, et in violatione solemni etiam est scandalum. Solemne ergo votum et impedit, et dirimit matrimonium, simplex vero impedit, sed si fiat, non dirimit, ut

ex Augustino et Gregorio probat, qui loquuntur de his qui habent votum solemne. Similiter de virginibus habentibus votum etiam si velatae non sint, et de viduis iudicium habendum est ex decreto Innocentii Papae xxvii, quæst. i, cap. Quæ vero. Qui etiam addit in cap. Quia Christo xxii, qu. i. Quod si huiusmodi nupserint non esse recipiendas ad penitentiam, nisi hi quibus iunctæ erant de mundo recesserint, hoc est si quasi defunctus redditus fuerit separando se ab illo.

Circa secundum, docet constare, quod vivente viro, aut muliere sic sunt ligati, ut neuter possit ad alias nuptias transire, alioquin adulterium committit, quod est gravius peccatum fornicatione, licet illo sit gravior incestus, et peccatum contra naturam est, ut ex D. Clemente, et Augustino constat.

Circa tertium, docet ex S. Leone Papa, quod mulieres quæ putantes viros suos interemptos, aut a captivitate non liberandos, in alia conjugia transeunt, si priores redierint, debent restitui, alioquin ecclesiastica communione priventur, si autem velint ad priores viros redire veniam habeant, si malæ voluntatis opprobrio carent. At vero si quis relicta sua uxore in longinquam regionem abeat; ibique ducat aliam quæ id ignorat, hæc secunda excusatur per ignorantiam, non autem copula illa conjugalis est dicenda, sed ex parte viri adulterium est.

Circa hanc distinctionem, primo inquit S. Thomas, utrum votum convenienter definiatur, de quo 2-2 q. lxxxviii. Secundo, an recte dividatur votum in solemne, et simplex, et in quo eorum differentia consistat, de quo eadem q. lxxxviii, art. viii. Tertio, an in omni voto etiam solemni possit dari dispensatio, de quo ibi art. x et xi. Quarto, de obli-

gatione voti, an semper debeat observari, de quo ibi ar. iii, et utrum matrimonium impediatur, de quo hic qu. i, art. ii. Deinde, inquit de scandalo quid sit, an sit peccatum, et an speciale peccatum, et quotuplex sit, de quo 2-2 q. xliv.

DISTINCTIO XXXIX.

Agit in hac distinctione et tribus sequentibus de illis impedimentis, quæ solum respectu aliquarum personarum impedimenta sunt. Et primo, de dispari cultu, constat enim non impediri respectu eorum qui disparem cultum habent. Et facit tria. Primo, ostendit disparitatem cultus dirimere matrimonium. Secundo, an fidei converso liceat dimittere infidelem conjugem, et ob quam causam. Tertio, an inter ipsos infideles sit verum conjugium.

Circa primum, docet non posse fieri matrimonium inter fidelem, et infidelem, nam et in veteri Testamento prohibitum erat ducere alienigenam, et Esdras talia conjugia separavit, i. Esd. x. Idem docet ex Augustino et Ambrosio et ex cap. Si quis, xxviii qu. Nec obstat, quod Apostolus dicit i ad Corinth. vii: *Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo non dimittat illam*, hoc enim ut docet Augustinus dicit Apostolus de his qui dum infideles erant conjuncti sunt, non vero de his, qui disparem religionem habentes conjungi volunt. Hi enim non possunt inire conjugium, sed si inierint separandi sunt, sicut Esdras separavit connubia alienigenarum, hoc enim per Moysen erat illis prohibitum.

Circa secundum, docet ex eodem Augustino quod quando alter conjux convertitur ad fidem, altero in infidelitate manente non est Domini præceptum ut dimittatur infidelis, sed

admonetur ab Apostolo, ne dimittat si consentit habitare cum illo, cum posset licite dimitti, ut possit occasio esse lucrandi conjugem infidelem, et hoc consilium est. Cur autem possit dimittere infidelem? Ratio est, quia licitum est propter fornicationem dimittere uxorem, infidelitas autem spiritualis fornicatio est; sicut autem Dominus permisit propter fornicationem uxorem dimitti, sed non iussit, ita Apostolo locum dedit admonendi, ut qui voluerit non dimittat, licet possit. An vero propter alia vitia possit conjux dimitti? Augustinus videtur dicere, quod etiam propter avaritiam quæ idolatriæ comparatur, vel ob alia facinora licet discedere, et dimittere. Si autem fidelis dimittat infidelem, vel infidelis discedat, an possit aliam uxorem ducere? Videtur de hac re contraria Ambrosius docuisse, dum uno loco dicit, quod filii, qui ex alia copula nascuntur infideli discedente adulteri erunt, et quod in baptismo solvuntur crimina, non conjugia. In alio autem loco dicit, quod contumelia Creatoris solvit jus matrimonii in eo, qui relinquitur, et sic non est peccatum si se alteri copulaverit. Respondet Magister distinguendo, quia videlicet vivente conjugis infideli, et volente cohabitare sine injuria Creatoris, potest quidem dimitti, quia infidelis, sed non potest alia duci. Si vero infidelis discesserit, vel noluerit sine Creatoris injuria cohabitare, tunc dimitti potest, et alia duci. Quod intelligitur de his qui in infidelitate copulati sunt, si enim uterque est fidelis, et alter fidem deserit, non solvitur vinculum matrimonii.

Circa tertium, docet quod licet aliqui dixerint conjugia infidelium non esse legitima, nec rata, quia solvi possunt, et ex fide non sunt; tamen veritas est, quod sunt legitima secundum quod matrimonium

est in officium naturæ, non tamen sunt rata in ratione Sacramenti, constat enim, quod si alter convertatur manere potest cum conjugis, quod non esset, si conjugium non esset. Quod vero non est ex fide, dicitur non esse intelligendum, quod sit peccatum, si non sit ex fide quæ credit, sed non est ex fide, id est, ex conscientia.

Circa hanc distinctionem, inquit primo D. Thomas, an possit fidelis contrahere cum infideli, de quo hic q. i, ar. i. Secundo, an possit fidelis conversus manere cum infideli; an possit etiam dimittere, de quo ibidem articul. iii, et iv. Tertio, an possit fidelis ducere aliam uxorem discedente infideli.

DISTINCTIO XL.

Restant tria impedimenta quæ circa personas determinatas versantur, id est, circa eognatos. Et sic agit in hac distinctione de cognatione corporali, in sequenti de affinitate, in altera de cognatione spirituali.

Igitur in hac distinctione duo facit. Primo proponit ad quot gradus consanguinitatis extendatur prohibitio non contrahendi. Secundo, quomodo isti gradus computandi sint docet.

Circa primum, docet usque ad septimum gradum, fuisse prohibita connubia, ut ex decretis Gregorii, et Nicolai, q. xxxv, cap. iii: Progenie, et cap. De consanguinitate constat. Hodie post Concilium Tridentinum ad quartum tantum gradum consanguinitas extenditur.

Circa secundum, docet aliquos computare sex tantum gradus, alios septem. Et diversitas nascitur ex eo quod quidam primam generationem, quam filius, et filia, id est, frater et soror procedunt a parente, non computant inter gradus, sed pro

trunco, et radice ponunt, quia prima generatio est, et sic facit Isidorus. Alii ponunt pro primo gradu generationem parentis in filios, sicut facit Zacharias Papa, et isti computant septem gradus includendo parentum generationem circa filios. Et sic variant isti penes inclusive, vel exclusive, circa primum gradum. At vero Gregorius Papa in cap. Quædam lex xxxiii q. iii, concessit genti Anglorum scribens Augustino episcopo, ut quarta vel quinta generatio licenter jungatur. Postea tamen scribens Felici episcopo Messanensi dicit id non fuisse generale, sed speciale pro illa gente recenter conversa ad fidem, qui postquam solidati fuerint in fide servabunt quod alii.

Circa hanc distinctionem, inquit primo D. Thomas quid sit consanguinitas, et utrum per gradus possit distingui, de quo hic q. i, art. i et ii. Secundo, an aliqua consanguinitas de jure naturali impediat matrimonium, de quo ibi art. iii. Tertio, an Ecclesia convenienter determinet usque ad quem gradum matrimonium impediatur, de quo ibi, art. iv.

DISTINCTIO XLI.

Agit in hac distinctione de affinitate, et ejus gradibus. Et facit tria. Primo, docet per quot gradus affinitas duret in ordine ad dissolvendum matrimonium. In secundo ostendit manere affinitatem etiam transeunte matrimonio. In tertio agit de distinctione adulterii, incestus, et fornicationis, similibusque speciebus luxuriæ.

Circa primum, affinitas distinguitur a consanguinitate, quod consanguinitas est respectu eorum, qui alicui sanguine juncti sunt, affinitas vero respectu eorum, qui sunt con-

sanguinei uxoris, vel in uxore respectu eorum qui sunt consanguinei viri, eo quod vir, et uxor una caro sunt, et sic qui sunt juncti uni, etiam et alteri. Igitur per quot gradus affinitas impediatur matrimonium diversimode antiqua jura loquuntur. Nam aliquando dicuntur per tot gradus impedire, sicut consanguinitas, ut constat ex c. Nullum, c. Sane, c. Æqualiter, xxxv, qu. iii, aliquando vero in quinto et quarto gradu non separari docent, ut in c. De propinquis, etc. In hoc quoque ubi supra. Et hoc ideo, quia ista posteriora jura loquuntur secundum dispensationem. Prima secundum rigorem.

Circa secundum, docet ex Gregorio in c. Fraternitatis xxxv, x. quod etiam soluto matrimonio manet affinitas, et ita si mulier ad secundas nuptias transeat, proles, quam susceperit non potest cognatione prioris viri contrahere usque ad gradus supra dictos, quia mediante matre eis affinitate proles jungitur. Idem ex capite. Si qua mulier, ibidem. Advertit autem Magister Ecclesiam quidem separare eos, qui infra prædictos gradus consanguinitatis juncti fuerint, si autem ignoranter id fecerint dubitari ab aliquibus, an talis conjunctio fuerit conjugium, eo quod jura dicunt talia conjugia separari, quod et aliqui affirmant, quod pertinet ad questionem de nomine: nam illa conjugia non sunt, licet excusentur personæ ob ignorantiam.

Circa tertium, distinguit illas species, quia fornicatio simplex proprie est soluti cum soluta. Adulterium alieni thori violatio. Stuprum defloratio virginis. Incestus consanguinearum, vel affinium abusus. Raptus violenta eductio puellæ e domo patris ut corrupta in uxorem habeatur. Raptor morte mulctatur, sed si ad ecclesiam, cum rapta confugerit, privilegio ecclesiæ liberatur.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, an ex matrimonio nascatur affinitas, et, utrum matrimonium impediatur usque ad quem gradum, de quo hic q. i, ar. i et ii. Secundo, an matrimonium inter affines contractum sit dirimendum, et quomodo, de quo ibi, art. v. Tertio, utrum incestus differat ab aliis speciebus luxuriæ, de quo hic ar. iv, et 2-2 q. cliv, art. v.

DISTINCTIO XLII.

Ultimo agit de cognatione spiritali, quæ etiam impedimentum præstat matrimonio. Et tria facit. Primo, declarat ipsam spiritualement cognationem quomodo contrahatur, et impediatur. Secundo, quasdam dubitationes circa spirituales, et adoptivos filios resolvit. Tertio, agit de secundis et tertiis nuptiis, an sint licitæ.

Circa primum, docet spirituales filios vocari quos de sacro fonte levamus, vel in catechizatione, aut confirmatione tenemus: contrahi vero spiritualement proximitatem inter compatrem, et commatrem, et inter eum qui levatur de fonte, et eum qui levatur, et inter filios ejusdem carnales, et spirituales. Solet etiam filius spiritualis vocari, qui a confessore de penitentia auditur. Itaque inter compatrem, et commatrem, et filium filiamque spiritualement dari cognationem impediens matrimonium constat, ex cap. De eo quod xxx, q. i. Si autem unus conjugum filium suum susceperit propter fraudem, ut ab altero conjugate separetur, acri penitentia mulctetur, sed separandus non est: si vero instante mortis, necessitate filium proprium baptizavit, non existente alio qui id faceret, non contrahit impedimentum respectu uxoris. Si vero ignoranter filium proprium, quis

susceperit, vel filiastrum, id est, filium conjugis ex alio matrimonio, separandos dicitur in cap. Pervenit ubi supra, sed id intelligendum est, si suscepissent ante quam essent conjuges non vero post, vel quod id ponitur in comminationem ne tale quid fiat.

Circa secundum, primo inquit an spirituales, vel adoptivi filii cum naturalibus conjungi possint. Et respondet negative ex decreto Nicolai Papæ in cap. Ita diligere xxx, q. i. Licet aliqui id intelligant, de illis tantum filiis, quibus compatres facti sunt, non de illis, qui ante vel post compaternitatem sunt geniti, alii etiam de illis intelligunt, et utrisque, jura diversa favent. Secundo, quærit an commatrem uxoris post ejus obitum ducere quis valeat. Respondetur negative ex cap. Sciscitatur xxx, q. iv. Quod intelligendum est quando vir copulatus est uxori post talem commaternitatem, et non alio modo. Tertio, quærit an vir et uxor possint simul aliquem levare de fonte. Respondetur ex Urbano Papa, id non esse prohibitum, melius tamen esse, ne fiat.

Circa tertium, docet non solum primas, et secundas nuptias sed etiam tertias, et quartas, et sic ulterius licitas esse, ut ex Augustino et Hieronymo confirmat, indefinite enim dixit Apostolus: *Si dormierit vir ejus cui vult nubat*. Bigamus tamen excluditur a sacerdotio non propter peccatum, sed pro Sacramenti virtute, seu significatione. Si quando vero videntur hæ nuptiæ damnari, non propter peccatum dicitur, sed propter significationem, vel nisi forte quis, primæ uxori insidiatus fuit ut secundæ copularetur.

Circa hanc distinctionem, inquit primo D. Thomas, an spiritualement cognatio matrimonium impediatur, et ex quibus causis nascatur, et inter quos contrahatur, de quo hic q. i,